

Wd  
955




R. 32, 7




COLOSSVS  
EX PVLVERE,  
MAGNAE SPEI PRÆCO  
ET  
VERI HONORIS MONVMENTVM.

Gotha



1897





**C**olosso huic quisquis adstas,  
lege ac pelle  
muti lapidis titulos illepidos, nec tamen mutos.

Noli tamen mirari  
litterato saxo aptari vocem præconis:  
par erat  
lucere in festiuitate publica  
inusatata insoliti gaudii monumenta & modos;  
sic, cui natura negauit,  
nefas erat deesse aliunde  
ingenium & vocem,  
ad celebrandum diem festiuum, faustum & expectatum,

quo

**PRINCEPS DESIDERATISSIMVS**

ciuibus redditur desideratis.

Tandem orta lux est,  
seriis ac diuturnis votis expetita,

qua

**FRIDERICVS,**

ERNESTI PII NEPOS,

FRIDERICI CLEMENTIS ET MAGNANIMI FILIVS

PIVS, CLEMENS ET MAGNANIMUS,

postquam

varias regiones, terrarum marisque interuallis disiunctas,

lustrauerat, vel potius illustrauerat

splendore gentilitio & suo,

sospes ac incolumis

ingreditur urbem patriam,

antiquam Saxoniæ ducum regiam,

Gotham dilectam.

Quis hic lætitiæ, plausus & desiderii modus?

Nullus locus, qui vestigium hominis capit,

vacat spectantibus;

ædium fastigia in proximo spectas onerata & laborantia.

Ad implendos tanto spectaculo oculos,

concurrunt ex urbibus agrisque ciues,

vias oppalent,

angustumque tramitem relinquunt,

per quem progreditur

**PRINCEPS AVGUSTVS**

ad augustos lares sedis auitæ,

paci, libertati salutique publicæ sacræ,

& nunc denuo sacrandæ

nouis auspiciis & salutatione antistitis præsentis & noui.

X 2

Adeo

Adeo lætissima PRINCIPIS aduentantis facies & vultus amabilis

hæret in oculis, ore, animo  
obnoxiorum tam placidæ maiestatis cultorum.

Officiosi muneric spectator & particeps,  
quisquis es,  
respecta ad hunc colossum,

&

nisi solenniora festiuitatis decora sensum occupant,  
rimare curiosius, quid ille sibi velit?

Ex puluere surgit  
**CIRCI SCHOLASTICI.**

Hic

ut talis esset ex humili angustoque ludi litterarii theatro:

ut salutari & religiosa lege frequentaretur;  
huius

ut puluis ab ordinum ductoribus tyronibusque honestius auspicatusque  
calcaretur,

effecerunt consilio, auspicio & magno impendio  
**MAIORES RELIGIOSI ET MAXIMI,**

nihil non impendere parati  
in publici egregii compendium.

Tam augustæ, tam diuinæ originis progeniem,

munus diuinitus datum,

terrarum & gloriæ auitæ hæredem,

**PRINCIPEM** sedibus paternis redditum.

**CIRCI** custodes & apparitores ingenui

dum suspiciunt,

dum colere & plausu digno excipere laborant,

opprimuntur gaudii magnitudine,

percelluntur maiestate vultus dominici,

ut

in vicem vocis, gaudio & admiratione suppressæ,  
litterati saxi operam inuocare cogantur.

In hoc

suspendunt religiosi officii nomina,

omina, vota, plausus, precatio[n]es

pro felicitatis publicæ perpetuitate,

pro PRINCIPIS salute.

Hoc enim simplex & cuncta complexum,

vnum sed omnium votum est;

quin voti fiduciam copiamque pacisci

sanguine, spiritu, vita,

nulli, si opus foret, reluctantur.

Ista ciuium mens, desiderium & studium

legitimus boni principis honor,

publicæ salutis præsidium, robur ac decus est.

Ac-

Acquiescunt pretiis illis rectores gentium,  
qui bona seculi sui satis intelligunt,  
qui status principalis decora rite sciunt æstimare,  
qui fortunæ gloriæque gentilitiæ altitudinem capere ipsi,  
quam ab ea capi malunt.

Non aliter visum maioribus gloriosis & maximis  
SERENISSIMI PRINCIPIS NOSTRI,  
vix alia re magnis, quam suorum amore & fide;

ad inuidiam potentibus,

quousque ciuili cultu sustinebant superabanteque potentiae inuidiam:  
clarioribus ex ambitiose claritatis contemtu:

ratis constanter,

famam bonam satius religione, virtute & meritis,  
quam imaginibus & statuis prorogari,

nec formam principis,

ad famam immortalem,

exprimi melius custodirique securius auro & argento,  
quam ciuium fauoribus.

Quin sola solida & rata decora,

insignibusque omnibus speciosiora

existimata sunt,

extantia clementiae & pietatis monumenta,

custodita salus ciuium,

conseruata, aucta, ornata res priuatorum.

Talibus natum,

datum talibus successorem,

absit, quæ contaminare audeat, ambitio aliena,

praua & inscia veræ maiestatis :

facebat sacrilega assentatio,

quæ cœlo reponit mortales,

radiata capita principum iactat viuentium,

arcus multiplicat, statuas molitur, tropæa ostentat,

templa, aras, victimas poscit in cultum dominicum!

Conticescat histrionica,

artes effœminatae & indecora seculo studia,

famelicæ adulationalis figmenta :

quæ

dum solidas laudes ludis & commissionibus celebrare instituunt,  
infamant,

& vocibus, modis gestibusque ludicris & effœminatis in ludibrium frangunt  
& conterunt.

Prorsus

totum istud falsi honoris ministerium

non honestat rerum humanarum fastigia,

sed incestis lenociniis polluit;

nec, qui ea tenent, ornat sed onerat.

His

His ubi locus,

exolescunt priſca mortalium bona,  
moris cultusque frugalitas, fides, grauitas & decus genuinum;  
succedit in principum domibus assentatio,

perpetuum malum regum,

nec non

solennia regnantum crimina plurima,  
quæ principes euertunt non malos,  
multantque clade miseranda.

Nam ad ultimum

detestantur malos principes, qui malos fecerunt,  
accersitamque prauis artibus miseriam publicam,  
vagis & irritis destinationibus aliquandiu sustentatam,  
multiplex perfidia, dum conatur dispungere, asperat,

Boni principes,

consciï suæ magnitudinis & legitimæ maiestatis,  
remouent iudicras artes a sui cultu;

& ostendunt,

se falsis honoribus superiores,

dum recusant ambitiosæ vanitatis ludibrium,

veris pates,

dum eos accipiunt inuiti,

nec acciperent,

nisi Deo deberentur, cuius imaginem in terris circumferunt.

Talem agnoscant PRINCIPEM NOSTRVM,

qui rite honestare velint eius aduentum;

excogitent speciem solidam

honoris veri & speciosi.

Vulgaria honorum insignia consumpta sunt adulacione,

attrita abutentium libidine promiscua,

exhausta ambitione stulta.

Vnum & singulare genus superest erga PRINCIPEM REDVCEM,

diuino eius genio consentaneum,

& tale, cui nec ipse refragabitur:

superedere prædicatione publica,

nec extollere merita, sed colere tacita veneratione merentem,

&, ut tam benemereri possit, quam vult, de republica,

bene de rebus Christianis,

bene de nobis,

Deum precari, & id ipsum mereri.

Ita reuerentius agemus cum PRINCIPE NOSTRO,

si præclara decora & documenta maturitatis,

quæ ex primæ ætatis actu eluxerunt,

integra illibataque cogitationibus nostris reseruemus,

votis consecremus & precationibus,

auctus & plenam maturitatem expectemus.

Hoc

Hoc pacto  
merita sine plausoribus venient in plausum,  
sua nitescent pulchritudine,  
& lenocinio remoto tanta, quanta sunt, esse videbuntur.

Ibit profecto in secula, si qua supererunt,  
ornatissimum principem modica usurpasse ornamenta,  
nec excedentia modum amplitudinis ciuilis.  
Acceder numerosæ Saxonorum ducum gloriæ  
noua gloriæ species.

Hanc

florentissimus infert genti suæ PRINCEPS,  
qui,  
dum ad augendum fastigium nihil superesse vider,  
nouo modo statuit crescere:  
submittit seipsum, & simul quicquid celsitatis sibi  
submissum erat,

descenditque, dum non est, quo ascendat altius,  
securus & capax magnitudinis suæ.

Gens enim Saxonorum ducum a nullo periculo  
longius abest, quam vilitatis & humilitatis contemtæ.

Tanti PRINCIPIS exemplo  
quis contemtore ambitionis animo dubitet conculcare  
mortales caducosque titulos,  
& inanum insignium apparatum?

Ita est in rebus humanis:  
vita principum publica censura est;  
ad eam diriguntur & conuertuntur omnes.

Fastigii principalis admiratio  
nihil tectum, nihil occultum finit;  
recludit non modo domos regias,  
sed cubicula ipsa intimosque secessus,  
arcanasque viuendi rationes famæ & imitationi proponit & explicat.

Quas si princeps regit lege Christiana,  
in publicos mores plus confert domestico exemplo  
quam imperio.

Noster cum maiorum ritu optimos velit ciues,  
tal is ipse esse laborat,  
conscius muneris sui,  
& prouidus æstimator immortalitatis:  
cumque populus, legibus dominicis viuere assuetus,  
flexibilis sit & sequax in quamcunque partem ducatur a principe,  
ille in optimam ducere sataget.

Perstet matus ille vitæ tenor,  
qui PRINCIPIS NOSTRI ætatem decorauit immaturam:  
Vigeat in sacratissimo pectore tenax iusti sanctique moris propositum,  
nihil valebunt in mores anni venientes,  
qui in commutandis hominibus multum valent,  
in principibus plus.

Ma-

FK Wd 955

Maiorem fastigio suo animum  
nec fortunæ indulgentia mollet,  
nec principales copiæ ad segnitiem luxumque detorquebunt.

Seriarum laxamenta curarum

&

vicissitudines senatorias  
non præstabunt otiosæ voluptates,  
sed ministeria religiosa & sanctotis otii argumenta.

Ita inter imagines maiorum,  
per vestigia eorum sancta & gloria  
grassabitur ad decus verum & immortale.

&,

cui illi fuerunt exemplum boni rectique,  
ab eo idem petet ætas præsens & populus obnoxius,  
repetet posteritas.

Beati tanto munere ciues!

Ite & ita excipite  
ostensa faustiorum temporum auspicia,

vt

BENE EVENIRE

precemini

PRINCIPI, REIPUBLICAE, VOBIS.

---

MEMORIAE POSTERITATIS SACRANT  
GYMNASII GOTHANI

RECTOR ET COLLEGAE.

---

LITTERIS REYHERIANIS,

CIO 10CXCIII.

Velleius Histor. I. II. c. CXXVI.

Facere recte ciues suos PRINCEPS optimus faciendo docet;  
cumque sit imperio maximus, exemplo maior est.

Mer



**ULB Halle**  
004 956 818

3



WOM





**Ad eo latissima PRINCIPIS aduentantis facies & vultus amabilis**

haeret in oculis, ore, animo

obnoxiorum tam uide, nisi fortis cultorum

Officiosi m

resp

nisi solenniora f

rimare c

CIR

ut talis esset ex hu

ut salutari

ut puluis ab ordinum duc

effecerunt co

MAIORES

nil

in pu

Tam august

n

terraru

PRINCI

CIRCI

dum colere

opprini

percellu

in vicem vod

litterati

suspensi

omni

pro fel

Hoc eni

vnu

quin v

nu

Ista ciui

le

publicæ fa

